



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

2. Rationi congruit &c. Historica relatio vitæ, mortis, miraculorum,
Brearificationis, & Canonizationis B. Joannis de Deo, ab Alexandro VIII
Sanctorum Confessorum non Pontificum Catalogo inscripto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Franciscus Medicina Testonus Clericus, Mediolanensis.
 Stephanus S. R. E. Card. le Camus, Episcopus Gratianopolitanus, Gallus.
 Gaspar Villalobos Hispanus Toletanæ Diocesis.
 Joannes tituli S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Card. Goessen, Episc. Gurcensis, Germanus.
 Joseph Bartolus de Perinzi, Romanus.
 Petrus Matthæus tit. S. Marcelli S. R. E. Cardinalis Petrucci, Episcopus Æsii, Æsinus.
 Jacobus Ripantus, Æsinus.
 Fr. Petrus Ord. B. Mariæ de Mercede Redempt. Captiv. tituli S. Crucis in Hierusalem, S. R. E. Card. de Salazar, Episcopus Cordubensis, Hispanus.
 Ignatius Palmeque de Zespeds Eques S. Jacobi, Hispanus de Guadalaxara Toletan.
 Joannes Calimirus tit. S. Joannis ante Portam Latinam S. R. E. Card. Denhoff, Episcopus Cæsenatensis, Polonus.
 Abbas Joannes Baptista Barbavarius, Faventinus.
 Fr. Joseph Saens Ord. S. Benedicti tit. S. Balbinæ S. R. E. Cardinalis de Aguirre, Hispanus.
 Gabriel a Mesa è Covarrubias, Madriti Toletan. Diocesis.
 Leander tituli Sanctorum Nerei, & Achillei S. R. E. Card. Colloredus, Sanctissimi D. N. Pœnitentiarum Major, Foroliviensis.
 Abbas Franciscus Xaverius Guicciardus Rhætus Clericus, Comensis Diocesis.
 Fortunatus tit. Sanctorum Joannis, & Pauli S. R. E. Card. Carafa, Episcopus Averfanus, Neapolitanus.
 Abbas Dominicus Todrus, Neapolitanus.
 Bandinus tit. S. Thomæ in Parione S. R. E. Card. Panciatius, Florentinus.
 Franciscus Cacciavillanus Clericus ab Appignano Dioc. Prænestin.
 Jacobus tit. SS. Marcellini, & Petri S. R. E. Card. Cantelmus, Archiepiscopus Neapoli, Neapolitanus.
 Abbas Jo. Bapt Eleofarius Civitatis Castellæ J. U. D. Ferdinandus tit. S. Clementis S. R. E. Cardinalis de Abdua, Mediolanensis.
 Abbas Joannes Dominicus Massa Mediolanensis, J. U. D.
 Tullanus S. Agnetis extrâ Mœnia S. R. E. Card. de Fourbin de Janfon, Episcopus Bellovacensis, Gallus.
 Comes Paulus Emilius Roncallus de Fluminibus, Clericus Assisensis.
 Joannes Baptista tituli S. Laurentii in Pane, & Perina S. R. E. Card. Rubinus, Episcopus Vicentinus, Venetus.
 Joseph Romangilius Ferrarien. Clericus Conjugatus.
 Franciscus tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Card. Judice, Neapolitanus.
 Abbas Afcianus Blasi, Romanus.
 Joannes Baptista tit. S. Bernardi S. R. E. Card. Costagutus, Romanus.
 Franciscus Ravenna, Romanus.
DIACONI XV.
 Urbanus S. Mariæ in Viâ latâ primus Diaconus S. R. E. Cardinalis Sacchetti, Episcopus Viterbiensis, Florentinus.
 Joannes Bernardus Galefius Clericus Finariensis, in Curia Advocatus.
 Joannes Franciscus S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. R. E. Card. Ginettus, Archiepiscopus Firmanus, Romanus.
 Felix Bonafides Clericus Conjugatus, Firmanus.
 Benedictus S. Agathæ S. R. E. Card. Pamphilius, Signaturæ Gratiæ Præfectus, Romanus.
 Cæsar Cecala, Mellanen.
 Dominicus Maria S. Eustachii S. R. E. Card. Curfius, Episcopus Ariminensis, Florentinus.
 Abbas Joannes Gregorius Boëtius Sacerdos, Ariminensis.

Joannes Franciscus S. Cæsarei S. R. E. Card. Nigronus, Episcopus Faventinus, Januensis.
 Abbas Dominicus Urfaya à Bosco Nullius Dioc. Provinciae Salernit.
 Fulvius Sancto. Cosmæ, & Damiani S. R. E. Card. Astallius, Romanus.
 Abbas Joannes Petrochius Canonicus Cathedralis Reatinæ J. U. & Sacræ Theologiæ Doctor.
 Franciscus Maria S. Mariæ in Dominicâ S. R. E. Card. Medices, Florentinus.
 Fr. Rutilius Sansedonius Eques Hierosolymitanus, Senensis.
 Raynaldus S. Mariæ de Scala S. R. E. Card. Estensis, Mutinensis.
 Comes Robertus Fontana quon. Comitum Reguli, Mutinensis.
 Petrus S. Laurentii in Damaso Card. Ottobonus S. R. E. Vicecanc. Venetus.
 Jacobus Tassius, Regien.
 Carolus S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. Card. Bichius, Senensis.
 Antonius Fantucius, Bononienfis.
 Joseph Renatus S. Georgii S. R. E. Card. Imperialis, Januensis.
 Abbas Desiderius Spretus Ravennaten.
 Aloysius S. Mariæ in Porticu S. R. E. Card. Homodeus, Mediolanensis.
 Simeon Paetrinus Clericus Conjugatus, Firmanus.
 Joannes Franciscus S. Hadriani S. R. E. Card. Albanus, Urbinas.
 Abbas Camillus Rasponus Ravennaten. J. U. D.
 Barberinus S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Cardinalis Franciscus nuncupatus, Romanus.
 Marchio Carolus de Rubeis, Romanus.
 De Alteris S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Card. Laurentius nuncupat. Romanus.
 Abbas Petrus Sanctus Butius, Romanus.

Historica relatio vitæ, mortis, miraculorum, Beatificationis, & Canonizationis B. Joannis de Deo, ab Alexandro VIII. Sanctorum Confessorum non Pontificum Catalogo inscripti.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit, & convenit æquitati, ea quæ Romani Pontificis providâ deliberatione, ac Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, tunc in Romana Curia commorantium, unanimi consilio decreta, definita, & statuta fuerint, licet ipsius superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

§. 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Alexander Papa VIII. Prædecessor Noster piâ secum meditatione perpenderit, quod Romana Catholica Ecclesia, quæ supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu ædificata à Deo Patre misericordiarum perennibus gratiæ cœlestis benedictionibus cumulatur, sicut tot documentorum est munita præfidiis, ita Sanctorum Virorum in dies confirmatur exemplis, quæ cum ad pietatem magnopere moveant, Divinæ mos est Providentiæ, juxta locorum & temporum opportunitates, suos Electos Servos ad eximie Sanctitatis gradum sublimare, ut fideles exemplaria hæc intuentes habeant insimul, quid venerentur, & imitentur ad venerationem obsequiosè demissi, strenuè ad imitationem erecti; cumque heroicarum virtutum, præsertim verbè ignitæ charitatis exemplar insigne prodiderit Beatus Joannes de Deo nuncupatus, qui eandem Ecclesiam novâ etiam prole fecundavit Fratrum Hospitalitatis, & infirmis infervientium longè,

II.

Proemium

B. Joannes de Deo ab Alexandro VIII. Canonizatus hicque ejus vita & mors enumeratur.

Nativitas.

Sanctitatis
initia, pro-
fectus &
specimina.Suscepta
pauperum
agrotan-
tium cura.

latèque per Orbem diffusorum, & eximia pietatis opera erga infirmos in eorum hospitalibus degentes præclaro animarum, corporumque profectu exercitium; æquum idem Alexander Prædecessor existimans, ut Sancti hujus viri memoriam veneraretur Ecclesia, cujus vita, & mors in conspectu Domini, & hominum, fuit virtutibus, & miraculis pretiosa, ad ejus solemnem Canonizationem processit; Utque Christi fidelium studia excitaret ad imitationem, sic ejus virtutes & miracula summam exponere, suoque comprobare testimonio, secum ipse decreverat; id quod cum morte præventus præstare nequiverit, idcirco Nos præsentibus Literis declarare statuimus.

§. 2. Natus est itaque Beatus Joannes ex Catholicis, piisque parentibus, anno reparatæ Salutis Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto in Oppido Montis Majoris Junioris Monte Mor il Nuovo nuncupati Regni Lusitanie.

§. 3. Paulò quidem laxiorem vivendi rationem à principio inierat, at cum primum Divinà operante virtute aggressus est revocare se, & compescere, magnæ profectò sanctitatis exhibere specimen cœpit, ac jam ab ipso Sanctioris vitæ rudimento consummatum aliquid perfectumque visus est attigisse. Ob auditam prædicationem verbi Dei sic fuit ad meliora conversus, ut protinus veterem in se hominem deponere decreverit, seque penitus ad Apostolicæ vitæ præscriptum, normamque formare. Totus igitur ad Deum conversus, & in Patre misericordiarum vehementer confidens, non dubitavit erecto ac alacri corde ingredi vias Domini, & quasunque difficultates ex ejusdem Dei amore feliciter superare. Quod ut expeditius perageret, & perfectionem à veritate ipsâ promissam opere assequeretur, ejusdem consilium illud sequutus: Vade, vende, quæ habes, & da pauperibus: cuncta, quæ possidebat, divendit, pecuniamque exinde redactam pauperibus, qui carcerum pedo miserè tenebantur, distribuit. Tum salutaris Pœnitentiæ Sacramento veteribus animæ maculis exterfis, illustre Sanctioris propositi documentum non sine præclarâ sui victoriâ in apertum prodidit. Ut enim in renovatione sui spiritus prioris vitæ labe abolere cupiebat, publico in Foro, in magnâ populi frequentia in virum alterum mutatus, horrido prorsus capillo squalens, & hirtus comparuit, atque ibi cano involutus, os humi dejiciens, ac dolens, & lacrymis ubertim diffuens, nudatumque pectus fædo identidem tundens, misericordiam, & peccatorum veniam à Deo toto mentis affectu, & cordis contritione deprecabatur. Tantæ spectaculum pietatis multis in diversa trahentibus, maxima demum (ut fieri solet) pars in deterius excepit; & qui tanto Christianæ penitentiæ tyrocinio celebrandus fuisset, seu demens ostentui habetur, conglomeratisque clamoribus, probris, lapidibus, verberibus, variisque injuriis ibidem, & in carcere quo amentium turba conjicitur, graviter afficitur. At vir Dei in Domino sperans non infirmatus, sed istis opprobriis, & tribulationibus spectaculum factus, Divinâ charitate magis exarsit, internoque exultans gaudio, non timuit quid faceret sibi homo, & omnia æquo animo ferens cum Apostolo gloriabatur in tribulationibus, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, & patientia probationem, præclareque intelligens haud quaquam esse mirandum, si quæ Judice Deo sapientia fuerit, ea stultitia reputetur apud homines, ex quibus, qui Spiritum mundi hujus habent, verè insensati vitam quidem iustorum æstimant insaniam, sed hi computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est.

§. 4. Tanquam aurum igitur Joannes in camino tribulationis probatus, cum firmus, ac constans in Dei pietate persistisset, mox purior accingitur ad currendam viam Domini, & postquam variis pietatis operibus se exercuerat, il-

lam præ cæteris vivendi rationem assumpsit, quâ animarum simul, & corporum salutem prospiceret. Agitandis itaque, & morbis pauperum Christi fidelium curandis totus intentus, domum suppellectili piorum elemosynis instructam in Civitate Granatensi conduxit, quò pauperes infirmos, quotquot obvios sibi inveniebat, vel in viâ languentes, vel fame, frigoreve pereuntes, propriis humeris deferebat; supem vicatim, & ostiatim diu noctuque non intermisso labore emendicabat, ac quæ duabus sportis, & ollis collecta propriis itidem humeris gestaverat, intet pauperes, & infirmos, prout cujusque exigebat necessitas, distribuebat. Cum primum domum perveniebat, invisebat omnes, nec prius in privatam se recipiebat quietem, quàm publicæ agrotantium commoditati abundè consulisset, si quid deesset diligenter exquirens, & quidquid opus erat, piè & providè subministrans, ægrotis ipse medebatur, illisque assistebat, cibum propriis manibus inferens, fordes purgans, lectulos versans, ac sternens, frigescentes igne, famelicos cibo, nudos vestibus refocillans, morientes confortans, nauseantes exquisitis condimentis reficiens, omnes denique proprio sinu amplexuque confovens, quasi optaret omnes intra sua viscera recondere. Aucto agrotantium hospitum ingenti numero, opus inceptum in Pominio confidens non intermisit, omnino majus valeudinarium instituire non dubitavit, illudque omni pharmacorum, opumque apparatu instructum voluit. Illuc ipse perse, & alios, quos interim ejusdem Instituti socios admiserat, pauperum, & miserorum agmina, & quotquot commiseranda paupertas necessaria febribus, reliquisque morbis medicamenta adhibere non sineret, colligere, eosque iisdem pietatis operibus recreare charitate in dies ferventiori continuavit. At quia eximia hæc proximorum dilectio non eo solum tendebat, ut à languoribus corporis sanarentur, sed potissimum, ut animarum salute proficerent, eos salutaribus Ecclesiæ Sacramentis muniri, & refocillari, piisque hortamentis, & opportunis sermonibus disponente, & confirmare satagebat, avidè animarum corporumque incolumitatem anhelans. Nec fervens Joannis charitas intra limites nosomii coarctatur, sed ad externos etiam pauperes honestos præsertim, & verecundos, quos secretis elemosynis sublevabat, & mulieres summâ egestate pressas, quibus ne propterea in peccandi discrimen traherentur, providè & opportunè succurebat, abundè diffunditur.

§. 5. Quantâ autem effundebatur beneficentiâ, & misericordiâ erga pauperes, tantâ sæviebat abstinentiâ & asperitate contra se ipsum, semel in die cibo, & quidem parcissimo utebatur, quem sibi eo libentius detrahebat, quò affluentius distribueret in egenos, impendens virtuti quod subtrahebat voluptati, ut fieret refectio pauperis abstinentia jejunantis. Erat ei vestis vix ad genu demissa, villosa, & apprime rudis, quæ simul corpus regeret, & affligeret, & ipsâ etiam subitula carens, capite, pedibus, tibisque denudatis diu noctuque, licet temporum injuriis semper expositus extremo frigore algeret, seu ardenti calore æstuaret, huc illuc, quò pietatis opera eum impellebant, incedebat. Brevis ei lectulus erat, & qui vel nudo solo vix asperitate concederet, brevior adhuc quem in eo carpebat somnus, diuturnis vigiliis, multoque interpellatus dolore, carnemque ut spiritui magis magisque obsequenter redderet, cilicio, ferreâ cuspide rigidisque feris contexto, nec non funiculis, vepribus, flagris, aliisque duræ verberationis instrumentis domabatur. Sic itaque castigans corpus suum, & in servitutem redigens, meruit illud integrum, & à noxiis delectationibus eo usque custodire, ut castitatis ipsius candor ne suspitionis quidem maculam merito admittere posset.

Abstin-
tia & con-
tra pro-
prium car-
nem aspe-
ritas.

§. 6. Nec

1691.
Aliorum
ad carnis
mortifica-
tionem in-
vitio.

§. 6. Nec propria virtute contentus, sed imitatus Salvatorem, qui venerat vocare peccatores, enixam, & indefessam curam adhibuit, ut omni conatu carnis concupiscentiam à proximis hujusmodi vitio apprimè inquinatis exterminaret, statis diebus quasi venabundus lupanarta ingrediebatur, ut meretrices à dæmonis servitute vendicaret, illas hortationibus, precibus lacrymisque retrahere studebat ab impudiciis, ac pro ipsarum conversione Deo enixas preces fundebat: ubi verò ista non proficiebant, æqualem futuro meretricio lucro pecuniam offerebat, ut à flagitiis perpetrands, vel ita se coercerent; cumque consideret in Domino, vacua non fuit spes ejus, nec labor sine fructu, pluribus ex illis perditis, & devotis animabus ad bonam frugem, & viam salutis reductis; Nec dissimiles fuerunt ejus curæ, ut in digentibus mulieribus, honestis viduis præsertim, & virginibus clam alimenta subministraret, oblato ad laborem exercitio, ne otium in pudicitiam honestatemve peccandi anam injiceret.

Obedien-
tia.

§. 7. Ad obediendi obsequium expectatus semper paratissimus extitit; Non solum enim abnegavit semetipsum, ut Evangelicæ legis præcepta servaret, sed hominum etiam voci obedivit, ut acciperet benedictionem à Domino. Quare cum ad certam disciplinæ normam Institutum conformasset, ei qui ex omnibus erat Moderator electus, omnia voluntatis arbitria, omnia mentis suæ sensa submisserat, nihil quod ei non probaretur amplectens, nihil quod demandatum ab eo foret, detestans, cum in lethalem morbum incidisset, à Nobili, piæque matrona enixè rogatus, ut pateretur se in ejus domum, ubi commodius curari posset, transferri, planè restitit, se ritu pauperum, atque ad sanctæ normæ paupertatis emori omnino velle respondens. Interea rei conficius factus Archiepiscopus Granatenfis, illi per obedientiæ legem præcipit, ut matronæ votis extemplo obsequatur: Nihil cunctatus Joannes uti obedientiæ filius Archiepiscopi mandato venerabundus statim obtemperavit, quam quidem obedientiæ virtutem adeò est amplexus, ut non modò Superioribus suis obsequenter obediret, verum etiam si quid pueri ipsi ob Dei amorem jussissent, exequi non detestaretur.

Oratio.

§. 8. Orationis studium divinarumque rerum contemplatio in Joanne mirificè excelluit. Cum brevissimum esset tempus, quod quieti appendebat, provolutus in genua profusus suavissimè lacrymis modò ore supplicans, modò mente contemplans, noctes penè traducebat in omnes. Rosarii exercitium, aliæque in Beatam Virginem pietatis obsequia erant illi in deliciis, ita ut inter ipsa, quæ ad pauperum subsidium, vel solatium obibat ministeria non rarò totus in preces effusus, ac in Dei contemplatione defixus videretur. Hinc placuit Altissimo, qui inquirentibus se remunerator est, ac mirabilis in sanctis suis, Joannis ortum, vitam, obitum, & quæ ipsum obitum subsequuta sunt, tempora variis indicis illustrare.

Sanctitatis
in ortu &
progressu
vitæ præ-
clara indi-
cia.

§. 9. Ortum quippe fuisse puerum in sortem Domini sublimeret electum insuecus splendor super ejus domo refulgens, sonitusque aeris campani sua sponte emissus ab ipso ejus Nativitatis instanti non obscurè præaunciarunt. Inter Divinæ Charitatis flammam vivere assuetus, terreno absumi non valuit incendio, è quo dexterà Omnipotentis illæsus exivit. Cum enim maximum in Regio Granatenfis valetudinario excitatum fuisset incendium, & universa Civitas accurrisset, ut non tam ædificii quàm infirmorum consuleret præservationi, advolavit etiam Joannes, ad Officia Charitatis semper paratus, cæterisque incendii voracitate detentis, impavidus profiliit in ignem, huc illuc discurrens, quousquetum infirmos humeris exportatos, tum lectulos è fenestris projectos ab igne vindicavit: Sed jam in immentum succrescentibus, & corpus undequaque ambientibus flammis circumventus, cum per dimidiam horam ab omnium oculis ereptus communi mœrore deploraretur, è medio igne redux incolumis,

omnes gaudio simul, & admiratione complevit, in Scholâ charitatis edocens segniorem in eum fuisse ignem, qui foris ulserat, quàm qui intus accendebat.

Obitus.

§. 10. Jam verò humanæ vitæ spatium feliciter emensum, & tempus resolutionis suæ infans, non minus pius, & felix obitus die octavâ Martii anno salutis millesimo quingentesimo terminavit. Lecto enim infirmatus decubens omnibus Ecclesiæ Sacramentis ab ipsomet Granatenfi Præsule, sanctæque refectus, assistentes omnes dimisit, viribusque in extremâ vitæ periodo licet destitutus, propriis indutus vestibus interiim è lectulo profliciens ac provolutus in genua, manu & corde imaginem Salvatoris crucifixi, quem fervidè vivens dilexerat, perstringens, inclinato ad ejus pedes capite obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit, ac in eadem corporis constitutione ab iisdem assistentibus ad eum paulò post reduentibus repertus, sex circiter horis, quousque indè dimotus fuisset, mirabiliter permansit, odorem mirè fragrantem diffundens.

Sanctitatis
& miracu-
lorum post
mortem
fama.

§. 11. Illuc universa Civitas Granatenfis rei novitate vulgata, ut eum sic consistentem, & suavè olentem admiraretur, confluit, eandemque & finitimi etiam Populi eminentem de Sanctitate Joannis conceptam opinionem eximio funere propalarunt. Optimares subivere feretrum, quod Religiosæ omnes Confraternitates, totus Clerus longè ferè præcedebat, universa verò Civitas etiam Togatis, Armatisque Receptoribus, aliisque qui advenerant, stipata devoto mœrore, & luctuosus laudibus sequebantur. Corpus ad Ecclesiam Victoriæ nuncupatam delatum, ut à confluentibus undique multitudinis manibus eriperent, statim fuit sepulchro reconditum, aliis adhuc precarios globulos feretro admoventibus, aliis frustra arcæ, ut tanquam Sancti reliquias asservarent, supripientibus. Cum Joannis tamen funere Sanctitatis fama non interit, sed in dies mirabiliter excrevit gratis, signis, & miraculis, quibus omnipotens Deus venerationem Populorum erga suum fidelem servum dignatus est promovere. Mulier ob inversum penitus fœtum uteri doloribus premebatur gravissimis, sed baculiquo vir Dei vivens utebatur contactu expeditam illico prolem emisit, omni prorsus levata dolore. Eundem proinde baculum parturientium laboribus futurum levamen consulens in posterum fidelium pietas non sine similibus gratiarum impetratione in Ecclesiâ Corporis Christi asservavit. Febres itidem & vermium affectiones exigua terræ portio domo desumpta haud rarò disiecit. Sebastiana Gomez cruoris ulcere putrido, magno, corrosivo, & calloso ad octo menses indoluerat, nihilque proficientibus, quæ applicabantur medicamentis, & prorsus distituta à Chirurgo, affirmante illud esse insanabile, & indigere validioribus diuturnisque medicaminibus, quibus etiam difficillimè curari posset, ad Joannis opem confugit, cui cum voto se devinxisset, nullo adhibito medicamento evasit incolumis. Savina Baptista quatuor annorum puella oculorum è nimio maligni humoris il lapsu usum planè perdiderat: Hæc cum primum ejus genitrix illam, si ad pristinum visum restitueretur, religiosis Beati Joannis insignibus induere spondidit, statim oculorum usum omnino sanum recuperavit. Philippa Araiz quatuor pariter annorum Puella, ex febris & immoderata per os, & nares sanguinis effusione penè animam agebat, sed statim ut exiguum pulveris è domo Joannis acceptum naribus Philippæ admotum fuit, sanguis & vita stetit. Aestuabat acerrimâ febris Beatrix Catebre de Gamâ penè sexagenaria, sicque mensum exegerat, sensuum omnium spatio decem, & octo dierum expers, non sine summo vitæ discrimine, desperantibus illius salutem Medicis, cum vix agrotantis collo portiuncula terræ domus servi Dei appensa fuisset, illa ad deperditos sensus revocata est, ac

deinde

Ab Urbano
VIII. di-
ctus Joan-
nes Beatus
nominatus
& Officia
pro eo con-
stitutum.

deinde absque aliquâ medicamentorum ope con-
valuit.

§. 12. Quapropter cum excrecente famâ San-
ctitatis hujus eximii viri Joannis de Deo oppor-
tuni processus auctoritate Apostolica confecti, hi-
que primùm à tribus causarum Palatii Apostolici
Auditoribus examinati, & subinde distinctâ eorum
per dictos Auditores editâ relatione, in Congrega-
tione tunc sacris Ritibus Præpositorum S. R. E. Car-
dinalium per plures sessiones discussi, ac recogniti
illorum validitate virtutes heroicæ ejusdem famuli
Dei, & miracula ab Altissimo per ejus intercessio-
nem, ante & post felicem ipsius in Domino obdor-
mitionem patrata, approbata fuissent, dictaque
Congregatio B. M. Petro Maria, S. Georgii, tunc
Diacono Cardinale Burghesio nuncupato referente
unanimitè decrevisset, tuto posse, quodcumque
Romano Pontifici placuisset, ad solemnem memo-
rati Joannis de Deo Canonizationem procedi, &
interim nuncupari Beatum, Missamque & Officium
de eo celebrari, & recitari, piæ M. Urbanus Papa
VIII. Prædecessor Noster, clar. mem. Ferdinandi II.
tunc Romanorum Regis in Imperatorem electi, &
Philippi IV. pariter tunc Hispaniarum Regis Catho-
lici, ac Isabellæ Conjugis, aliorumque Principum,
nec non tunc existentium Majoris, & Confratrum
Congregationis ipsius Beati Viri Joannis Dei petitioni-
bus sibi super hoc porrectis annuere volens, de supra-
dictorū Cardinalium Sacris Ritibus præpositorū con-
silio, ut idem Dei famulus in posterum Beatus nuncu-
pari, & de eo ab omnibus dictæ ejus Congregationis
Regularibus quotannis in die commemorationis
ejus obitus Officium recitari, & Missa celebrari de
Communi Confessorum non Pontificum ritu du-
plici majori per annum juxta rubricas Breviarii, &
Missalis Romani, & quoad Missam etiam ab aliis
Regularibus & Secularibus Sacerdotibus ad il-
lorum Ecclesiam confluentibus; in Civitate verò
Granatensi in Ecclesiâ tamen ubi Sacrum illius cor-
pus requiescebat, & in supradicto oppido Montis
Majoris Junioris Monte Mor il Nuovo vulgariter
nuncupati, ubi is Dei servus natus est, in omnibus Ec-
clesiis tam Secularium, quam Regularium, Offi-
cium, & Missa ritu duplici majori recitari & cele-
brari valerent, per suas in formâ Brevis desuper die
21. Septembris 1630. expeditas Litteras indul-
serat.

Decreta
Innocentii
XI. super
solemni
Canoniza-
tione ejus-
dem.

§. 13. Cumque postmodum signatâ à recol.
mem. Clemente Papâ IX. similiter Prædecessore
Nostro commissione reallumptionis causæ Canoni-
zationis hujus Servi Dei in statu & terminis, in
quibus post illius Beatificationem reperiebatur, no-
væ Litteræ remissoriales pro confectione processu-
um super iis, quæ in Urbe, Neapoli, Granatâ, &
Madridi supervenerant, expeditæ fuissent, & pro-
cessuum inde confectorum validitate subinde pro-
batâ in Congregatione die 9. Februarii 1675. habi-
tâ ad discussionem relevantiæ deventum fuisset, tan-
dem similis memoriæ Innocentius Papa XI. etiam
Prædecessor Noster auditis Dilecti Filii Nostri, tunc
Sui Casparis tituli S. Mariæ Transtiberim, tunc San-
cti Silvestri de capite Presbyteri & Cardinalis Carpi-
nei nuncupati relatione, Consultorum sententiâ, ac
Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc Suorum, S.
R. E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus præposito-
rum suffragiis, duo ex pluribus miraculis post
concessam, ut supra, venerationem Joannes à Deo
editis in ante dictâ Congregatione maturè discussis
juxta processum, alterum Romanum probatur,
primum videlicet instantaneæ sanationis Joannis de
Marino cruribus, & tibiis impotentis, & attracti
spatio septennii, & quartum instantaneæ sanatio-
nis Isabellæ Arcelli à bubonibus, pediculis, & car-
bunculis in humeris absque cicatricibus. Quibus
sic stantibus, & absolutis omnibus, quæ novissi-
ma Decreta dicti Urbani Prædecessoris exigebant,
idem Innocentius Prædecessor subinde nempe die

13. Junii 1689. declaraverat, turè posse quando-
cumque procedi ad solemnem præfati Beati Joannis
de Deo Canonizationem juxta S. R. E. ritum, &
Sacrorum Canonum Decreta, illumque cum Deo
regnantem in gloriâ, Sanctorum Catalogo univer-
sali cultu venerandum adjungi.

§. 14. Interim verò eodem Innocentio Præde-
cessore viam universæ carnis ingrello, ultimâ ma-
nu huic Canonizationis negotio nondum admodum,
cum aliæ preces dicto Alexandro præfati Innocentii
Successori, Nostro autem Prædecessori, à Charissimis
in Christo Filiis Nostri Leopoldo Romanorum Re-
ge in Imperatorem electo, Carolo Hispaniarum
Rege Catholico, Petro Lusitanæ, & Joanne Poloni-
niæ Regibus Illustribus, ac denique ab universo
ejusdem Beati Viri Religioso cœtu porrectæ fuissent,
ac subinde Venerabilis Frater Noster Flavius Episco-
pus Portuensis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Chi-
sius nuncupatus vice Venerabilis etiam Fratris No-
stri Alderani Episcopi Estiensis S. R. E. Cardinalis
Cybo nuncupati, præfata Congregationis Præfeti,
morbo tunc detenti, in Consistorio ipsius Alexandri
Prædecessoris secreto summam processum, suamque
& aliorum Collegarum suorum dictæ S. R. E. Car-
dinalium Sacris Ritibus præpositorum sententiam
exposuisset, cæterique in eodem Consistorio præsen-
tes Cardinales ei unanimi suffragio adhesissent: Et
postea in alio publico Consistorio, quo præter Car-
dinales præfatos etiam supradicti Patriarchæ, Ar-
chiepiscopi, & Episcopi in Urbe commorantes, ac
Dilecti Filii Romanæ Curie Prælati ipsiusque Ale-
xandri Prædecessoris familiares convenerant, Dile-
ctus etiam Filius Magister Dominicus Taurinus
Nostre tunc Sæ. Consistorialis Aulæ Advocatus de
vitâ, virtutibus & miraculis dicti Beati Joannis de
Deo dixisset, atque nomine Principum, & Reli-
giosorum præfatorum supplices deprecationes pro
ejusdem Canonizatione detulisset, dictus Alexander
eas deprecationes effuso cum exultantis animi sen-
su excepit, & attendens, quod Ecclesiæ Catholi-
cæ gloria etiam in numero, & excellentiâ Sancto-
rum, qui illam illustrarunt, sit reposita, gavius
summo opere fuit, ab eximii prædicti, & aliorum
Beatorum virtutibus meritisque in eodem Consisto-
rio relatis præstantissimum sibi præberi argumentum,
ejusdem Ecclesiæ gloriam amplificandi, firmam præ-
sertim in spem adductus, fore, ut fideles tunc ejus
supremæ custodiæ commissi ad tam præclara se-
quenda vestigia vehementer excitarentur.

§. 15. Ut autem difficillimum opus ritè conficere
valeret, à memoratis fidelibus juxta præscriptas
jam à se salutare penitentiis pia, ferventiaque
nuncupari vota, impensè in Domino flagitavit,
ut supernorum luminum Pater caligantis humanita-
tis velo rescisso, Divinum beneplacitum, sine præ-
viâ cujus intelligentiâ infirma fuisset quælibet delibe-
ratio, notum sibi apertè faceret, & manifestum,
Quin etiam ad omnes accuratissimi Judicis partes
implendas, antequam super re tam magni momenti
decerneret, advocavit in consilium præfatos Vene-
rabiles Fratres Nostros, tunc Suos, dictæ S. R. E. Car-
dinales, nec non Patriarchas, Archiepiscopos, &
Episcopos tunc in Urbe commorantes, qui post-
modum in Consistorio semipublico ad hunc effectum
indictio præsentibus etiam Nostri, tunc Sui, &
Sedis Apostolicæ Notariis, & Causarum Palatii
Apostolici Auditoribus ex iis, quæ ab eo proposi-
ta, & ex processu relata fuerant, Beatum Joan-
nem de Deo canonizandum esse, apertis suffragiis
unanimitè censuerunt.

§. 16. Quibus sic peractis, cum nihil aliud de-
sideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum au-
thoritate, Sacrorum Canonum Decretis, præfata
S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum Decre-
torum præscripto agenda, & observanda erant,
idem Alexander Prædecessor decimo septimo Kal.
Novembris anno præterito millesimo sex-

Denud
Canoniza-
tio ab Ale-
xandro
VIII. de-
creta.

Divine
voluntatis
& S. R. E.
Cardina-
lium con-
sensus præ-
via explo-
ratio.

Tandem
que præ-
dicta die Ca-
nonizatio
ritè pera-
cta.

centesimo nonagesimo, Pontificatus sui secundo in Sacrosancta Beati Petri Apostolorum Principis Basilica, quo solemniter rite cum Venerabilibus Fratribus Nostriis, tunc suis, S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Dilectis Filiis dicte Romanæ Curie Prælati, Officialibus, & Familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maximâ Populi frequentia mane convenerat, iteratis primò, secundo, & tertio pro Canonizationis Decreto petitionibus per Dilectum Filium Nostrum, tunc suum, Petrum S. Laurentii in Damaso Cardinalem Ottobonum nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli Hispaniarum Regis Catholici post Sacros hymnos, litanias, aliasque preces, & post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam, ad honorem Sanctissimæ, & individue Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua maturâ deliberatione præhabita, & Divinâ ope sæpius implorata, ac de præfatorum S. R. E. Cardinalium Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, Beatum Joannem de Deo, unâ cum Beatis Laurentio Justiniano, Joanne à Capistrano, Joanne à Sancto Facundo, & Paschale Baylon Sanctum esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesiâ quolibet anno die octavâ Martii memoriam ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recolere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Gesta post
Canoniza-
tionem fac-
tam.

§. 17. Eademque auctoritate omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus verè poenitentibus, & confessis, qui annis singulis in die festo ejusdem S. Joannis, ad sepulchrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentis misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiæ consuetâ; Postremò Deum Patrem æternum, Regemque Gloriæ Christum Dominum Patris sempiterni Filium, ac Sanctum Paracletum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & Confessionibus veneratus, sacroque Hymno Te Deum decantato, peculiari orationi etiam per dicti Beati Joannis merita precatus fuit, atque Missæ ad Altare Beati Petri Apostoli cum ejusdem Beati Joannis commemoratione à Venerabili Fratre Nostro, tunc suo, Palutio Episcopo Sabinen. S. R. E. Cardinale de Alteriis nuncupato, solemniter rite celebratæ interfuit, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit. Justum itaque, & æquum idem Alexander existimabat, dare gloriam, honorem, & benedictionem viventi in secula seculorum, qui justum hunc sic deduxit per vias rectas, & honestavit in laboribus suis, ut esset sanctus, & immaculatus coram ipso, Divinæque misericordiæ illiusque meritis fretus sperabat confidentius, ut idem justus, qui in hoc mundo cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecerat illum, in conspectu Altissimi pro Christianæ Reipublicæ necessitatibus deprecaretur, & flagella divinæ iracundiæ, quæ pro eorum peccatis mortales meruissent, averteret.

Confirma-
tio Decre-
torum Alex-
andri.


§. 18. Ne autem de Decreto, definitione, adscriptione, Statuto, relaxatione, concessione, voluntate, aliisque præmissis pro eo, quod super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Litteræ ejus supervenientes obitu confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari; Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd Decretum, definitio, adscriptio, Statutum, relaxatio, concessio, voluntas, aliæque præmissa à dicto die decimo septimo Kal. Novembris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Litteræ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent,

prout superius enarratur; Quòdque præsentis Litteræ ad probandum plene Decretum, definitionem, adscriptionem, Statutum, relaxationem, concessionem, voluntatem, aliæque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§. 19. Cæterum quia difficile foret præsentis Nostras Litteras ad singula loca, ubi opus esset deferri, Volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo aliqujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 20. Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii Pontificatus Nostri Anno primo.

† Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus



Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.
Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Card. Franconus.
Ego P. Episcopus Sabinensis Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.

Ego F. Tit. S. Mariæ in Via Presbyter Card. Maidalchinus.

Ego Carolus Tit. S. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barberinus.

Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtiberim Presb. Card. Carpineus.

Ego Farn. Tit. S. Matthæi in Merulana Presb. Card. Nerlius.

Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presby. Card. Calanate.

Ego Fabritius Tit. S. Chryfogoni Presb. Card. Spada.

Ego Savus Tit. S. Petri in Vincula Presb. Card. Milinus.

Ego Marcus Antonius Barbadicus Tit. S. Sufannæ Presbyter Cardinalis S. Sufannæ.

Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Gœssen.

Ego Joseph Tit. S. Balbinæ Card. de Aguirre.

Ego Leander Tit. S. S. Nerei, & Achillei Presb. Card. Colloredus M. Poenitentiarius.

Ego B. Tit. S. Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciatius.

Ego Ferdinandus Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua.

Ego Tuslanus Tit. S. Agnetis extrâ mœnia Card. Presbyter de Janfon Fourbin.

Ego Franciscus Tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Judice.

Ego Jo. Baptista Tit. S. Bernardi Presb. Card. Costagurus.

Ego Urbanus S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. Sacchetti.

Ego Benedictus S. Agathæ Diaconus Card. Pamphilius.

Fides
transsum-
ptorum.

Sanctio
pœnalis.

Ego

Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Diaconus Card.
Otto bonus S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Carolus S. Mariae in Cosmedin Diaconus Card.
Bichius.
Ego Aloysius S. Mariae in Porticu Diaconus Card.
Homodeus.
Ego Jo. Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Al-
banus.
Ego Laurentius S. Mariae in Aquiro Diaconus Card.
de Alteriis.

Loco + plumbi

B. Card. Prodatarius

J. Franciscus Card. Albanus

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Historica relatio vitae, mortis, miraculorum, Bea-
rificationis & Canonizationis B. Joannis à S. Fa-
cundo, ab Alexandro VIII. in Sanctorum nu-
merum relati.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

III.

Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Christus
Ecclesiae
afflictae de
Sanctis vi-
ris non ra-
ro provi-
det.

Cujus rei
praclarum
exemplum
fuit Joannes
de S.
Facundo,
ab Alexan-
dro VIII.
Canoniza-
tus.

Canoniza-
tionis pro-
cessus
enarratur.

Rationi congruit, & convenit aequitati, ut ea,
quae Romani Pontificis provida deliberatione,
ac Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardi-
nalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscopo-
rum, & Episcoporum tunc in Romanâ Curia com-
morantium unanimi consilio decreta, definita, &
statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu
Litterae Apostolicae desuper confectae non fuerint,
suum debitum consequantur effectum.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander Pa-
pa VIII. Praedecessor Noster pia secum considera-
tione perpendens, quod gloriosus in Majestate sua
unigenitus aeterni Patris Filius Christus Dominus,
& Redemptor Noster, qui omnes homines vult
salvos fieri, & veniens in hunc mundum pacem evan-
gelizavit, & Caelorum summitate prospiciens con-
ditionis humanae dignitatem, satis nunquam deplora-
tâ miseriam, cui primi Parentis culpa dedit initium,
deformatam criminumque tenebris obscuratam in-
effabili semper dispositione providit, ut suis apte
temporibus exurgerent viri Sanctitate conspicui, qui
hominibus senescente mundo in pejora ruentibus
adjutrices manus porrigerent, & gliscentium vicio-
rum spinas de Ecclesiae vinea evellerent, ac tan-
quam lucernae inter effusas peccatorum tenebras
viam ad caelestem Patriam commonstrarent.

§. 2. Et hinc dum Hispania partim Mahume-
tanâ perfidia, & Saracenâ tyrannidis pertinacibus
adhuc reliquiis occupata, partim frigescente chari-
tate praepotentibus, ac pluribus diâ praesertim si-
multatis vitiis languebat oppressa, ad illuminan-
das obtenebratas peccatorum mentes, eosque revo-
candos ad viam salutis & pacis, Joannis de San-
cto Facundo nuncupati Spiritum suscitavit, qui in
tempore iracundiae factus reconciliatio, ac æmula-
tus charismata meliora, ore simul, & opere doce-
ret, quanta erga Deum aestuaret charitate, quanta in
proximum dilectione, quantoque contra vitia, &
diffidia afficeretur odio factus contra ea declamator
acerrimus.

§. 3. Justum proinde idem Alexander Prae-
decessor ratus, ut eximum hunc virum virtutibus,
& miraculis praclarum, quem coronâ expressâ si-
gno Sanctitatis Dominus redimiverat in Coelis, San-
ctorum etiam Laureâ coronaret in terris, operi
jamdiu pertractae Canonizationis ultimam manum
admovit, servatis tamen servandis, & praeviis legi-
mis processibus, quorum summam juxta memo-

rati Praedecessoris praedestinationem ad perpetuam
rei memoriam, & Christi fidelium aedificationem
hisce Apostolicis Litteris duximus recensendum, ut
sequitur.

§. 4. In oppido Sancti Facundi vulgariter Se-
hagun nuncupati, eaque Hispaniae parte, quae ver-
git ad septentrionem propè Diocesim Legionen-
sem post diuturnam matris sterilitatem piis paren-
tum precibus impetratus Joannes circa annum re-
paratae salutis millesimum quadringentesimum tri-
gesimum natus est: ut verò sortitus erat animam bo-
nam, piè à parentibus educatus, coepit ab ipsa pue-
ritia non obscura dare futurae sanctitatis indicia.

§. 5. Praeventus enim à Domino in benedictio-
nibus dulcedinis, & inde puerilia pertæsus, ac de
pace condiscipulorum sollicitus, quae ad concordiam,
bonos mores, pietatem, ceterasque virtutes con-
ferebant, illis proponebat, ejusque Zelo succensus,
qui linguas infantium facit esse disertas, ubi vel lo-
cus, vel faxum prominens occurrebat, mirâ supra
aetatem facundia concionabatur, innocenti praesi-
gnans tyrocinio, quantus, quamque proficius praeco
altissimae veritatis esset futurus.

§. 6. Aetate, & virtute adolescens humaniori-
bus literis, Philosophiae, & Theologiae, multo-
que magis pietati operam dedit apud Monachos
Sanctorum Facundi, & Primitivi. Interim verò
ordinatus in Clericum, Beneficio, cui cura animarum
imminebat, per Vicarium, donec ad Presbyteratum
promoveretur regendo, Patre adnitente praepositus.
At Evangelicum documentum boni pastoris cognos-
centis oves suas, & ab illis cogniti reformidans,
atque inde anxius tum de ovibus non pastoris, sed
mercenarii custodiae, quamvis temporaliter creditis,
tum de fructibus non suae, sed interpositae personae
labore partis, illibatam conscientiam, cuius stimu-
lis angebatur non prius, quam eodem Beneficio
dimisso pristinae tranquillitati restituit.

§. 7. Emenso studiorum curriculo inter Episcopi
Burgensis familiares adscitus, ea enituit morum
honestate, praeclearaque indolis specie, ut apud ipsum
intimam nactus benevolentiam, & grati valens,
pro omnibus, praesertim pro pauperibus ad suum
Pastorem confugientibus non inutilis intercessor exi-
steret, Sacris insignitus Ordinibus à memorato Epi-
scopo amplo Ecclesiae Burgensis Canonice donatus
post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, &
thesauris, sed manum suam inopi liberaliter ape-
riens, & palmas suas extendens ad pauperem, uti
fidelis dispensator, & prudens, uberes dicti Cano-
nicatus, & aliorum Beneficiorum fructus dispersit,
dedit pauperibus, ut iustitia ejus maneret in seculum
seculi.

§. 8. Nec tamen hic substitit ardens ejus Deo pla-
cendi, & serviendi desiderium, sed ut proprium ele-
ctorum est, ire de virtute in virtutem, ad altiora res-
piciens, & Christum propter Christum non propter
sua quaerens familiaria, quo apud praefatum Episco-
pum Burgensem fungebatur ministerio, Canonicarui,
& Beneficis omnibus abrenunciatis, solisque elemo-
synis pro Missae sacrificio ad sui sustentationem con-
tentus, ferventiùs orationi, & attentius sacrorum
librorum lectioni animum adjunxit, & ne sibi so-
lum, sed aliis viveret, coepit verbum Dei magno au-
ditorum concursu, parique profectu in eadem Bur-
genfi Civitate annunciare.

§. 9. Irreperat tunc Salmantica summa, & im-
punitis peccandi licentia, adeoque exarserant potissimè
inter Nobiles intestina odia, & pertinacia diffidia, ut
inde Civitas in effertas factiones scissa, maxima ani-
morum acerbitate caedumque frequentia saeviret,
quando aeterna Majestas charitatem servi sui, ut illic
tanquam pacis Angelus pergeret, excitavit. Piis ibi
operibus, & verbi Dei praedicationi pro viribus, &
utiliter plurimorum annorum spatio additus, nihil
timuit, nihil recusavit, nihil omisit, ut animas è pec-
catorum caeno eruens Deo lucrificeret, & civiles flam-
mas rore pietatis, & imbre praedicationis exstingueret.

§. 10. Sed ut Dei virtus in infirmitate Joannis

Joannis
praefati na-
tivitas.

Indicia
pueritiae.

Adole-
scenzæ
studia &
promotio
in Cleri-
cum.

Episcopi
Burgensis
familiari-
tas, & do-
natio Ca-
nonicatus
Ecclesiae
Burgensis.

Beneficio-
rum abdi-
catio &
verbi Dei
annuncia-
tio.

Quomodo
in intesti-
nis Civita-
tis diffidia
se gesserit.

Morbus
calculo-
rum &

magis